



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

140. De more velandarum Virginum. Harlindis & Relindis cum alijs à S. Vvillibrordo velatae, Miraculum in Vase Vacuo Vino praestanti repleto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

## DISSERTATIO CXL.

De more velandarum Virginum. Harlindis & Relindis cum alijs à S. Willibrordo velatae. Miraculum in Vase Vacuo Vino præstanti repleto.

**S**olemnis olim mos viguit in primitiua Ecclesia vt virgines & viduae soli Deo nubere proponentes, se Episcopi magisterio subderent, ab eoque accepto sacro velo vel in domibus parentum & amicorum, vel in monasterijs sese totas Deo in hostiam viuam, beneplacentem offerrent & consecrarent. Vide Ambrosium in responsione ad Symmachum. Hieronymum Epistola 8. ad Demet : Augustinum Epistola 179. Optatum Mileuitanum lib. 2. & lib. 6. contra Parmen. Baronium ad annum 57. & 109. Mileuitanus causam imponendi veli (Mitra illi vocatur) addit, vt signum & indicium esset professionis, contra raptores, aut petitores inuentum, ne rem iam Deo deuotam qui sponsabat perseveraret petere ; aut ne raptor auderet violare.

Perseueravit laudabilissimus ritus vsque in tempora S. Willibrordi, quinimo septimo & octauo saeculo quasi reuiuiscens plurimum effloruit. quod docent tum exempla Aldegundis, Waldetrudis quae velum susceperunt à S. Autberto : Austrebertae à S. Audomaro : Andregisilae à S. Audoenno : Bertae, Gertrudis & Deotilae filiarum eius : Ittae cum filia Gertrude ; Rictrudis cum tribus filiabus à S. Amando : Landradae à S. Lamberto : tum renouatio antiquorum decretorum eo super & poenae in abusus statuta  
per

per Papam Zachariam anno 744. apud Baronium ubi pontifex ex lib. L. decretorum Innocentij decernit: Quæ Christo Spiritualiter nubunt, & à Sacerdote velantur, si publica vel publice nupserint vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam poenitentiam nisi is cui se adiunxerat, de mundo recesserit. Si enim de hominibus hæc ratio custoditur quæcumque viuento viro alteri nupserit habeatur adultera, nec eis agendi poenitentiam licentia cõcedatur, nisi vsus ex his fuerit defunctus: quanto magis de illa tenenda est, quæ ante immortali se sponso coniunxerat, & postea humanas ad nuptias transmigravit.

Idem de non velatis Virginibus, si deuiauerint, in eodem libro vigesimo capite continetur: Hæ vero quæ nec dum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulauerunt permanere, licet velatæ non fuerint, si forte nupserint, his agenda aliquanto tempore poenitentia est, quia sponsione eiusmodi tenebantur. Vides quam creber vsus velationum Virginalium.

Præstitit pium illud officium S. Willibrordus Harlindi & Relindi Virginibus ortis ex pijsimis parentibus Alardo & Grinuara ramis sanctis ex radice sancta, qui tum ad propriam deuotionem, tum ad promouendam filiarum, Sacram Parthenonem in proprio peculio exedificarunt circa annum 730. procul dubio non sine directione, consilio, instructione S. Willibrordi quo in rebus animæ libentius utebantur. Consummato Cœnobio & 12. alijs in odorem sponsi accurrentibus præficitur prima Abbatisa Harlindis operata prius cum sorore, sodalibusque benedicto velo per Sanctum Willibrordum ac deinceps multæ

Yyy 2

eiusdem

eiusdē suauitate odoris allec̄te ibidē Deo mācipantur. Le-  
 gitur Sanctus Willibrordus cum Bonifacio discipulo tum  
 Episcopo & Germaniæ Apostolo Cœnobium istud sæ-  
 pius visitasse, tum ad priuatam secessionem à negotiorum  
 tumultibus, tum ad nouas Virgines velandas, ad easdem  
 sacris exhortationibus pascendas ac in suscepto proposito  
 corroborandas. Contigit dum quodam die aduenissent  
 ambo Antistites Harlinde & Relinde in eorum aduentu  
 plurimum lætantibus, tristi tamē solitudine anxij prop-  
 ter defectum sufficientis vini in vase, adeo ad eorum præ-  
 sentiam multiplicari subitò vinum vt efflueret, nimirum  
 qui dat escam omni carni, qui dat iumentis escam ipso-  
 rum & pullis coruorum inuocantibus eum, cultoribus  
 suis alimenta etiam corporalia subministrat, non solum  
 ad necessitatem, sed etiam ad honestatem & decoram ex-  
 hilarationem. Antonio Paulum eremitam visitante cor-  
 uus qui ante semper dimidiatum panem attulerat, inte-  
 grum detulit. Post corui discessum, eia, inquit Paulus,  
 Dominus nobis prandium misit, verè pius, verè mise-  
 ricors. Sexaginta iam anni sunt, cum accipio quotidie  
 dimidij panis fragmentum, nunc ad aduentum tuum mi-  
 litibus suis Christus duplicauit annonam. In Cana Galileæ  
 hospitis vino exhausto nuptialibus conuiuijs ex aqua Hy-  
 drijs infusa vinum liberalissime Christus produxit. Idip-  
 sum & aliàs operatus est per famulum suum S. Willibror-  
 dum, vt Treuiris vasa vacua immisso baculo replentem.  
 Præstantissimum illud vinum fuisse æquum est cogitare,  
 iuxta illud Chrysostomi : *Fecit aquam vinum, nec simpliciter*  
*vinum, sed vinum optimum. Eiusmodi sunt Christi miracula, vt*  
*qua natura perfecta sunt, longè pulchriora melioraque reddantur.*  
*Ita & alijs distortum membrum quam sana validius reddebat, &c.*  
 Sic loquuntur & alij P. P.

Harlindie

Harlindis post plurima virtutum religiosa facta, post multas adolescentulas. 1. animas fide & castitate vigentes Christo tamquam arrham siue pignora traditas, lucernis ardentibus, lampade oleo grauida sponso it in occursum à quo in coelestem thronum admissa accipit coronam quam ei Deus præparauit ab æterno, 12. Octobris.

In regimine sufficitur Relindis nec solitudine nec virtutibus inferior, quæ etiam tandem plena dierum & meritorum à supremo præmiatore euocatur cum magistro Willibrordo, cum sorore, sine fine regnatura 6. Februarij. Vtriusque annus emortalis est incertus : ambas S. Willibrordo superuixisse mihi probabilissimum.

Ad lipsana in proprio Cœnobio condita Deusmira operari voluit, inter quæ Eliuigæ cuidam lumine orbate visus restitutus. eleuauit ea Franco Episcopus Leodiensis anno 855. seruantur modo in Ecclesia oppidi Mascicani quo Harlindina plantatio prius in Collegium Canonico-rum sæcularium commutata anno 1571. est translata. Feruntur ibi inueniri plura pretiosa ornamenta arte & manu Har. & Rel. contexta. Nec non casula in qua S. Bonifacium (cur non & S. Willibrordum eiusque comites?) missæ sacrificium peregisse, habet traditio.